

immo-
rantur, specialibus summeque utilissimis ne-
glectis. Accedit quod plerumque observationum
chymicarum sint rudes, cum tamen Chymia prin-
cipia ac indolem mixtionis optime edoceat. Id-
circo laboravi adhuc, qua potui, solertia, ut per
divinam gratiam viresque mihi concessas, per fun-
damenta facilia ac cohærentia, aphorismis, quibus
pura ac nuda veritas optime perspicitur, deducta
ex unico & catholico principio nempe MOTU,
conquisitis undiquaque notabilioribus ex Mecha-
nica & Chymia experimentis, corporum phæno-
mena auditoribus meis privatim explicarem atq;
evolverem, & hæc ipsa fundamenta ad corpus hu-
manum, & consequenter ad medicinam applica-
rem, & sic facillima ac perspicua methodo præce-
pta medicinæ traderem. Hæc ipsa Physices fun-
damenta publicæ luci exponere, jam apud ani-
mum meum constitui, eam maxime ob causam,
ut difficilimæ alioquin arti medicæ lucem aliquam
præferrem ipsamque faciliorem redderem. Expe-
rimento enim edoctus multiplici scribo, & citra
arrogantiam, illum qui fundamenta præmittit in
physicis intra tres annos feliciter progredi & ma-
jores profectus in solidiori Medicina & praxi cape-
re posse, quam alium Physices studii expertem
vix intra longissimum tempus. Hisce jam funda-
men-

men-